



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Miracula per Septemtriones facta. Cap. VII.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

ximè secuta est, obdormit. Sed è somnis improuisò excitatus, voce altâ coniugem vocat. Accurrenti, Non tu vides, inquit, hoc lumen toto cubiculo diffusum? neque ad eò sanatum ab IGNATIO me vides? Mulier gaudio impedita, cum nihil eius luminis videret, inhibuit maritum, ne quâ per intempestam noctem se moueret. Et paruit illi tum quidem; ceterùm, vbi primùm illuxit, è cubili profilit, rectaque ad templum Societatis, nullo morbi vestigio notatus, decurrit.

IGNATII *miracula in Septemtrionibus facta.* CAP. VII.

63. **N**EC omiffa IGNATIO Germania fuit. Monachium, vrbs est in Boicâ celebris, & inter primas Germaniæ clara. Visitur ibi augustâ specie templum, quod Guilielmus Princeps sancto Michaëli Regijs sumptibus erexit; & auro gemmisque ornatum, Societati IESV tradidit. Ara ibidem est IGNATIANA, cum lucente argenteâ

genteâ lampade: Huc perducti ægrorum aliqui: quorum nuperrimè duo, miraculis luculentis, stupente viciniâ, conualuerunt. Rem vtramque Antistes Frisingensis legitimis testibus exploratam, syngrophâ suâ publicè confirmavit. Prior in hunc modum est acta.

Petrum, cognomento Grauium, puerum tredecēnem, repentini dolores oppresserant; quibus poplitū nervi, haud multò aliter quàm si ilignei forent, induruere. Secuta tabes, quæ suras macie deformi extenuatas, flebile spectaculum reddiderat. Quare pedum vsu motuque destitutus, nitendo manibus, ægrè quadrupes reptabat. Mouit commiserationē suā forma infelix. Et aliqui fortè, vt in IGNATII fidem æger concederet, monuere. Simul illi, quis IGNATIVS, quibusque meritis esset, explicant. Eum, si postuletur, clienti non defuturum. Puer facilis suaderi, voto se confestim obstringit, si valetudine per IGNATIVM potiretur, statis diebus

bus conceptas preces ad aram eius
 exsoluere. Annus tum agebatur
 post millesimum sexcentefimum
 duodetrigesimus, dies septimus de-
 cimus Calendas Apriles: cum in-
 stitit apud suos puer, vt quoquo
 modo ad templi fores vsque per-
 duceretur. Intrò deinde irreptans,
 vbi suas apud Sacerdotem noxias
 ritè expiauit, dape Eucharisticâ im-
 pertitur: tum ex voto primas pre-
 ces commodùm peregit, cum sen-
 sit, occultâ vi vtrumque poplitem
 valescere, & torpètes antea nervos
 in naturam redire. Quare subit
 experiri, vtrum erigere in pedes
 (quod sex mensibus totis nequie-
 rat) sese iam posset. Conanti, ma-
 trona præsens manum commodat.
 Mox ille exsurgere, rectoque cor-
 pore per templum incedere, & spe-
 ctanti stupentiq; populo sanatum
 sese ostendere. Et remanserat tunc
 quidem nonnihil pristini doloris:
 quamquam id ipsum, superfuso
 lampadis oliuo, paucis diebus om-
 ne euauit. Examinati super hac re
 multi,

multi, qui iurati pro testimonio dixerunt scire se, puerum pedibus verè captum fuisse: addiditque vir, chirurgicæ peritus, poplites pueri nervosque diligenter à se inspectos exploratosque prius fuisse: sed eos arte sibi opeque humanâ immedicabiles apparuisse.

64. Puella Dachouij (haud procul Monachio) nata, Anna Wolfcherina dicebatur: ea, incertum quo infortunio (aliqui veneficium suspectabant) repente clauda, pedis dexteri usum omnem amiserat, ut sinistro iam solo, nec nisi agrè niteretur, fulcri subeuntis adminiculo adiuta. Medico res egebat, & sumptu: sed puellam vires opeque defecerant. Ea propter ptochodochio recepta, inter mendicos mensibus quindecim stipe gratuitâ alebatur. Interea per visum IGNATIVS ei, qualis depingi plerumque solet, obijcitur; Sacerdotalem vestem indutus, & alterâ manu librum, altera IESV nomen ostentans. Excitata de somno puella, renar-

renarrat familiæ, quam viri speciem id noctis viderit. Consentunt illicò omnes, *IGNATIVUM* fuisse: hortantur, cœptis insistat. Non de nihilo id visum esse: proinde spernam certam in *IGNATII* patrocinio collocaret. Puella, quæ ad eum diem de *IGNATII* formâ, ac ne nomine quidem quidquam inaudisset, votum nuncupat, cerea pedum sigilla ad aram eius suspendere; accepti, si potiretur, memoriam. Sed solvendi huius, quamquam pauperis voti, diu copia non fuit, eò quòd ægra faciendo itineri impar, moliri se ipsa non posset. Acribus tamen stimulis idemtidem acta, vel reptando demum petere *Monachium* decrevit. Sed inter primos pedum conatus, vires succubere. Igitur defectam, rusticus fortè prætervehens, in curram, quem agebat, sustulit; secumque in urbem vsque humaniter deiecit. Illâ de curru, simul vt licuit, in templum subit: & *IGNATIVUM* piè venerata, insinuare se patrono, caus-

causamque suam commendare
 cepit. Mox olei paucillum, quo
 partem affectam ungeret, de lam-
 pade sumit. Postridie reducitur, &
 sacris piacularibus lustrata, ante de-
 pictam IGNATII imaginem pro-
 cumbit, precesque pridie ceptas
 instaurat. Inter hæc moliri se inci-
 pit, factura periculum, an pedibus
 insistere iam posset. Neque cepta
 successu caruere. Correcto nervo-
 rum vitio, pedes ad officium re-
 deunt; erigit sese puella, nec fulcri
 prioris indigens, ad summam ædis
 aram per se ipsa contendit, epulo-
 que cælesti illic accumbit. Exinde
 plena gaudij, solutis gratijs do-
 mum discedit; dedicatio prius sub-
 alari fulcro, & in miraculi fidem
 illic relicto. Pertinax & insanabile
 malum id fuerat, si humanis uten-
 dum consilijs fuisset; prout legiti-
 mi testes, iudicesque censuerunt.
 Sed à Medico cælesti victa morbi
 contumacia est.

65. Etiã apud Hungaros IGNA-
 TII patrociniũ increbruit. An-

no M. D. XCIV. apud Turosios
(loci id nomen est) matronam tri-
dium exercuere grauissimi dolo-
res, quos in partu nequidquam to-
lerarat. Nec periculum aberat, ne
moritura traheret infantem, & in-
agnato tumulto sepeliret. In eo ma-
tris prolisq̄ue discrimine ad IGNA-
TIVM decurritur: cuius cineribus
vix etiamdum illatis, filium salua
mater enititur, dupliciq̄ue benefi-
cio, ad gratiam patrono soluen-
dam prouocatur.

IGNATII *miracula apud Indos*
edita. CAP. VIII.

66. **V**ERVM his nihilo minora
fuerūt, quæ in vltimis In-
dijs facta magnis testibus memo-
rantur, Bartholomæus Lupus, pro-
uinciæ nouæ Granatæ Archiepi-
scopus, soluerat. ex insulâ Cubâ.
Ducebat secum è nostris duos, Al-
phonsum Medianum, & Franci-
scum Fogeronum: ad quos (& non
maximum erat nauigium) alij se-
diuersi ordinis plures adiunxere.

O

Iamai-